

conf. 17. num. 6. vol. 1. & placet limitatio, quia idem diximus de religioso excomunicato testamenti, cui hoc opponitur supra cap. 11. num. 46.

C A R V T X I V .

De aliis rebus extrajudicialibus religioso interdicitis.

S Y M M A R I V M .

Religiosus nequit eligere sepulchrum: & quando factum tempore inhabili, relatum ad tempus habile non valeat. n. 1. An si religiosus moriatur extra monasterium, possit eligere sepulchrum? referunt quaedam sententia. n. 2. Sententia auctoris. n. 3.

Quid si moriatur non electa sepulchra, & ibi sit aliud monasterium sui ordinis? n. 4. An monasterium teneatur expensas funeris soluere? & quid si habeat beneficium ibi? n. 5.

An Abbas possit pro religioso eligere sepulchrum? n. 6. An ipse Prelatus religiosum possit sibi eligere sepulchrum? numero 7.

Quid si Prelatus eligere sepulchrum, & postea decedat finita prelatura? n. 8.

Quid de monacho, qui praest Prioratu manuali? n. 9.

An novitius possit eligere sepulchrum? n. 10.

Quid si novitius moriatur absque sepulchra electione? & ibi, quid si novitius ille esset in proposito redeundi ad seculum? n. 11.

Quibus expensis sepeliendi sint novitii. n. 12.

An teneatur monasterium expensas ab alio factas in funeris novitii soluere? n. 13.

Quid dicendum si novitius ille patrimonio careat, cum tamen parentes eius sint divites? n. 14.

Post n. 14. in summa alia summaria.

PRIMO interdicitur religiosus eligere sepulchrum, ut constat ex cap. final. de sepulchris, in 6. ibi religiosus, nisi a propriis monasteriis adeo forsitan sint remoti, quod ad ea, cum moriuntur, commode portari non possint, nequeum (cum velle, vel nolle careant) sibi eligere sepulchra, sed sunt apud sua monasteria tumulandi. Quare cessat iam opinio Hostiensis, qui c. de vxore. n. 4. de sepulchris, dixit, religiosum posse eligere sepulchrum, quia actus referunt in tempus habile, quo religiosus per mortem eximitur a iugo obedientiae, ac proinde debet valere, cum idem sit, aliquid disponi tempore habili, vel inhabili, dummodo effectus conferatur ad tempus habile. l. quod sponsa. C. de donationibus ante nuptias. l. in tempus. ff. de hereditibus instituentibus. Quia ratio textus eo. cap. de vxore, decidit, vxori intergrum esse eligere sepulchrum, reddens hanc rationem ibi; cum electio ista ad eum potius statum pertineat, in quo mulier soluitur a lege viri. Sed respondendum est; quandoque iure aliquid interdicitur, spectato solo effectu, & tunc procedit regula praedicta: quandoque vero prohibetur, spectato etiam initio, & tunc non sufficit, ut conferatur in tempus habile, ut constat ex l. si minor. ff. de feruis exporti. vbi minor viginti annis nequit seruum manumittere, etiam manumisso referatur in tempus, quo ea aetas completa fuerit, quia lex spectauit initium, in quo defectu perfectae aetatis manumittens carebat maturo consilio. Sic ergo, quamuis religiosus per mortem iugo obedientiae liberetur, quia tamen tempore vite non habet voluntatem, nequit eam declarare, eligendo vbi post mortem sepeliatur, ut constat ex dicto cap. finali. Et ita explicant eam regulam Abbas eo. cap. de vxore. num. 4. Francus eo. cap. finali. num. 1.

Difficultas autem specialis est, an quando religiosus moriatur ita remotus a monasterio, ut ad illud commode portari nequeat, possit sibi eligere sepulchrum: Quidam negant, tum quia ratio textus, nempe, religiosum carere

velle, & nolle, ita procedit in hoc casu, ac quando moritur in monasterio. Nec obstat textus de finali, qui a contrario sensu videtur permittere hanc electionem in hoc casu, quia id non permittit, sed solum, ut non sepeliatur tunc in monasterio: atque ideo in illo textu duplex ponitur regula; prior negatiua, nempe, ne monachus possit eligere sepulchrum, a qua nihil excipitur: posterior affirmatiua, nempe, ut religiosus in suo monasterio sepeliatur, a qua excipitur, quando commode ad suum monasterium portari nequit. Atque ita clare docere videtur Innocentius. cap. nimis iniqua. numero 2. de excessibus Prelatorum, vbi cum textus supponat religiosos morientes extra monasterium posse eligere sepulchrum, ait esse peculiare privilegium Minorum, & Prædicatorum, & tenent Francus eo. cap. finali. num. 3. & ibi Dominicus num. 4.

Ceterum verius est posse tunc eligere sepulchrum, quia intellectus contrariae sententiae torquet nimis textum, qui priori regulae negatiuae, ne monachus liceat eligere sepulchrum, adiecit exceptionem illam, nisi longè a monasterio moriatur. Atque idem supponit cap. nimis iniqua. num. 2. de excessibus Prelatorum, vbi tanquam iniquam arguit consuetudinem clericorum, qui religiosorum decedentium extra sua monasteria electo sepulchro corpora ad sua monasteria deferri cogunt. Neque est verum hoc esse peculiare fratrum Minorum, & Prædicatorum privilegium, tum quia de tali privilegio nullibi constat: tum etiam, quia textus indistinctè loquitur. Atque ita docent Glossa eo. cap. finali. sine, & ibi Monachus sine. Archid. num. unico. vers. eligere. Anchar. ad finem. Abbas cap. 1. num. 2. de sepulchris, & melius dicto cap. nimis. num. 2. Rosella verbo sepulch. 2. num. 1. Ang. verbo sepulchra. num. 6. & ibi Syluest. quest. 6. Tabiena q. 4. num. 5. Armilla num. 6. Nauar. comm. 2. nu. 43. de regular. Manuel qq. regul. tomo 3. quest. 60. art. 2. vers. aduertendum tamen est.

Quod si moriatur ita remotus a monasterio non electa sepulchra, aut tenendo non posse eligere, sepeliendus est in Ecclesia parochiali, in qua decessit, instar secularium in itinere morientium. Atque ita docet Glossa eo. cap. finali. in casu positione, quom referunt, & sequuntur Dominicus eodem cap. finali, & ibi Anchar. sine. Francus num. ultimo. Abbas cap. 1. nu. 4. de sepulchris. Sed quid si ibi sit monasterium aliud sui ordinis? Glossa citata dicit esse communem opinioem, sepeliendum adhuc in Ecclesia parochiali, nisi ibi sit causa perpetuae residentiae. Sed hoc non credo; & melius Anton. cap. 1. num. 9. de sepulchris. dicit in monasterio illo sepeliendum.

Tenebiturque monasterium expensas factas in eius monachi sepultura soluere, quia tenebatur suis expensis illum sepelire, sicut qui defunctum sepelit, potest expensas ab herede petere. l. si quis. ff. de religiosis, & sumptibus funerum. Atque ita tenet Petrus de Vualdis, quem refert, & sequitur Manuel qq. regul. tomo 3. q. 60. art. 3. Et vterque bene temperat, nisi ille habeat beneficium etiam manuale; tunc enim expensis illius est sepeliendum, utpote qui curam illius beneficii gerit.

Vtrum autem possit Abbas pro religioso eligere sepulchrum, affirmat Manuel qq. regul. tomo 3. q. 60. art. 1. Ducitur, quod pater possit eligere pro filio impubere sepulchrum ratione patrie potestatis: at per professionem transit religiosus in potestatem Abbatis. Sed iure optimo Petrus de Vualdis pro ipso allegatur, tenet contrarium, quia saluum est fundamentum: non enim pater ratione patrie potestatis id ius eligendae sepulchrae pro filio impubere habet, sed ratione consuetudinis, vbi ea legitime praescripta fuerit. Quare id ius non habetur, vbi talis consuetudo non est, ut expressè habetur cap. penult. de sepulchris in 6.

Rursum difficultas est, an ipse religiosus Prelatus possit sibi eligere sepulchrum: Quidam negant, id solum concedentes supremo religionis Prelato, qui est Generalis,

Generalis, quod in aliis militet ratio dicti cap. finali, cum non habeant velle, aut nolle. Sic tradunt Syluest. verbo sepulchra. quest. 6. & ibi Armil. num. 6. Sed verius est id posse, quod in multis habeat velle, aut nolle, & habeat subditos in sua potestate. Et ita fatetur Ioannes Andr. cap. final. de sepulchris, in 6. dum ait, intelligendum esse eam prohibitionem de religioso claustrali, quasi eam, de eo, qui est alteri subiectus in monasterio; & tenet, licet sub aliquo dubio, Abbas cap. de vxore. num. 5. de sepulchris. Idem tenent Francus d. cap. finali. num. 1. Rosella verbo sepulchra. 2. num. 2. Tabiena verbo sepulchra. quest. 4. num. 5. Manuel qq. regul. tomo 3. quest. 60. art. 1.

Quod si Prelatus hic eligeret sepulchrum, & postea decederet finita prelatura, non esset sepeliendus in loco electo, sed in suo monasterio, quia inspicitur tempus mortis ad habitatem eligendae sepulchrae discernendam: at tempore mortis non erat ille Abbas. Sic docet Petrus de Vualdis, quem refert, & sequitur Manuel num. praecedenti allegatur.

Similiter tenentur, qui praest Prioratu manuali, potest sepeliri in monasterio, vel Prioratu illo, iuxta sui Abbatis voluntatem, quia censetur monachus illius monasterij, vel Prioratus, iuxta cap. 1. de privilegijs, in 6. Sic docent Francus cap. finali. n. 2. de sepulchris in 6. Manuel num. praecedenti allegatur.

Tandem nouitius potest eligere sepulchrum, quia dictum cap. finali. solis religiosus hanc electionem interdicit; nouitius autem non est verè religiosus, maxime in odioso. Item, quia hi habent velle, & nolle. Atque ita docent Francus dicto cap. finali. num. 2. Armilla verbo sepulchra. n. 6. & ibi Tabiena q. 4. n. 5.

Sed duplex restat circa hos nouitios difficultas. Prior est, vbi sint sepeliendi decedentes absque sepulchrae electione. Quidam dicunt sepeliendos esse in Ecclesia, in qua si forent seculares, essent sepeliendi, quia non sunt verè religiosi. Sic allegato Archidiacono docent Petrus de Vualdis de canonic. Episcopali. cap. 9. num. 34. Angelus verbo sepulchra. num. 26. Sed quidquid sit de iure communi, obtentum tamen consuetudine est, ut in monasterio sepeliatur. Sic docent Tabiena, & Armilla allegati, Syluest. verbo sepulchra. quest. 8. dicto 7. & idem docet attentis religionis privilegijs, Manuel tomo 3. quest. regul. quest. 60. art. 2. sine. Temperat hoc Syluest. nisi nouitius ille esset in proposito redeundi ad seculum, quia cum tunc elegisset in seculo mori, censetur quoque elegisse sepulchrum. Sed non placet limitatio, quia dum ad seculum non rediit, adhuc mansit nouitius. Ergo debet gaudere privilegijs, & consuetudine inductis in nouitiorum fauorem.

Posterior difficultas est, quibus expensis sepeliendi sint nouitii. Videtur enim non monasterij expensis sepeliendi, cum non sint veri religiosi. Sed dicendum est, si patrimonio careant, esse expensis monasterij eos sepeliendos: quia sunt a monasterio admissi, ut expectantur, & sunt membra illius, & inhumanum esset eos insepultos relinquere. Si verò patrimonio habeant, sunt illius expensis sepeliendi: quod non sint veri religiosi, & si tunc monasterium eos sepeliat, repetet expensas ab herede. Ita docent Petrus de Vualdis de canonic. Episcopali. cap. 13. num. 3. Manuel quest. regul. tomo 3. quest. 60. art. vltim. Quibus addo, seruandam esse consuetudinem, si ea haberet, ut in quocumque casu expensis monasterij sepelirentur.

Hinc est, ut si nouitius distas a monasterio, vbi ex superiorum obedientia erat, moriatur, teneatur monasterij expensas ab aliquo factas in eo funere soluere, quando teneretur, si in monasterio moreretur, quia eadem est ratio; sicut dixi num. 5. de professo moriente extra monasterium.

Sed quid dicendum, si nouitius ille patrimonio careat, ac parentes eius superstitis sint, ac diuites, an in

cumbat parentibus soluere eas funeris expensas, quia si in domo parentum moreretur, eorum esset sepelire: Existimo in hoc seruandam esse consuetudinem receptam in ea religione, & seclusa ea consuetudine petendi eas expensas, sepeliendum esse expensis monasterij, quia in eius obsequio, & sub eius obedientia obicit, separatus omnino, licet reuocabiliter, a cura paterna.

S Y M M A R I V M .

Religiosus, clericus, & habentibus sufficiens beneficium quater interdicitur usus chirurgiae; & omnia interdicia clericis in sacris constitutis, censentur interdicia beneficium habentibus. n. 15.

An liceat causam pietatis? n. 16.

An liceat bis artem chirurgicam absque incisione, & aduisione, aut medicam exercere? proponuntur probantia non licere. n. 17.

Explicatur sententia auctoris, & soluntur contraria. n. 18.

An liceat erga miserabiles, & cognatas personas? n. 19.

Quod privilegium habeat circa hoc Societas Iesv n. 20.

Secundò interdicitur religiosus, & quibuscumque clericis secularibus in sacris constitutis, vel etiam constitutis in minoribus, si hi sufficiens beneficium ad victum habeant, exercere artem chirurgicam cum incisione, vel aduisione. De clericis constitutis in sacris constat ex cap. sententiam sanguinis, ne clericis, vel monachis; de religiosis constat ex cap. tua nos de homicidio; de constitutis in minoribus habentibus sufficiens beneficium nullus est textus: at omnia interdicia clericis in sacris constitutis, censentur quoque interdicia habentibus beneficium sufficiens ad victum, ut docet Nauarrus summa. cap. 25. num. 112. vers. 3. & comm. 4. num. 28. de regul. Atque ita loquentes de omnibus his docent Abbas eo. cap. sententiam sanguinis. num. 22. Angelus verbo medicus. num. 11. & ibi Syluest. quest. 2. Armilla num. 4. Tabiena verbo medicina. quest. 1. Nauarr. summa. cap. 25. num. 110. Quare dum Armilla verb. irregularitas. num. 47. ait huiusmodi officium interdici quoque clericis in minoribus constitutis, intelligendus est iuxta praedictam doctrinam, quando sufficiens beneficium habeant.

Quod adeò verum est, vt ne causa pietatis id liceat, vt bene tradunt Anton. cap. tua nos. num. 4. de homicidio, & ibi Abbas num. 5. Socinus num. 3. quod intellige quando inciso, vel aduisione intrerunt debet. Si enim hac non interueniant, licet aliquando causa pietatis, sicut de arte medicinae dicemus num. 19. Atque ita docent Armilla verbo irregularitas. num. 47. Nauarrus summa. cap. 25. num. 110.

Sed difficultas specialis est, an interdici quoque his omnibus sit artem medicinae, seu chirurgiae absque incisione, & aduisione exercere? Ratio dubitandi est, quia nullus reperitur textus id prohibens. Secundò, quia, cap. tua nos de homicidio, definitur, monachum exercentem chirurgiam cum incisione esse irregularem, sequuta inde morte, quamuis debitam adhibuerit diligentiam ad eam vitandam: & redditur ibi ratio, quod deliquerit exercens artem illi interdicitam. Et tamen cap. ad viros, de amto, & equalitate, respondet Clemens II. Colonienfis canonico, cum non fuisse irregularem exercendo medicinam, sequuta inde morte, si diligens ad eam cauendam fuerit. Ergo sentit textus non tribui canonico culpae exercere artem medicam, aliàs esset quoque irregularis, quauis diligentia apposita. Et ita Card. ibi. num. 2. & Couart. Clement. si furiosus, de homicidio. 2. p. 5. num. 3. vers. sic. & idem colligunt ex eo textu, exercitium huius artis non esse clericis, vel monachis interdicitum, atque adeò non imputari illis ad irregularitatem mortem inde absque sua culpa subsequutam, quippe qui rei licitae operam dant. Atque ita vterque hic auctor videtur clare huius sententiae: & idem

videtur sentire Manuel 1. como summa. 2. editione. cap. 177. num. 1. 2. dicens expresse non esse eis interdictum: sed postea vacillat, dicens dedecere eorum statutum, & probabile esse, nullam esse culpam aliquando medica arte vti ex iusta pietatis, aut necessitatis causa.

18 Ceterum tenendum est, interdicti quoque artem medicam exercere religiosis, & clericis secularibus in facris constitutis, & quibuscumque beneficium habentibus, dummodo sit sufficiens ad victum. Atque ita docent Rosella verbo medicum, sine. & ibi Angelus num. 11. Syluest. quest. 2. Armilla num. 4. Tabiena verbo medicina. quest. 3. Nauarr. summa. cap. 25. num. 110. Idem docet Abbas cap. sententiam sanguinis. num. 22. ne clerici, vel monachi, de sacerdotibus, & regularibus, & quibuscumque aliis habentibus sufficiens beneficium, quamuis id neget de constitutis in diaconatu, & subdiaconatu, si predicto beneficio careant, ductus, quia ratio cui ipse interdictus, id non probat de constitutis in diaconatu, vel subdiaconatu carentibus eo beneficio. Sed verius est, omnibus quoque istis interdicti, vt tenent Doctores allegati. Sed in reddenda huius rei ratione variant auctores. Abbas enim eam reddit rationem, quod sacerdotibus, & religiosis prohibetur studium medicine, propter exercitium eius cautendum. cap. finali. ne clerici, vel monachi. Ergo a fortiori prohibetur exercitium. Ceterum hac ratio nullius est momenti. Primum, quia licet caueri exercitium sit finis illius legis, commune Theologorum axioma est, sine precepti non cadere sub precepto, aliis cum textus ille eam reddat eius prohibitionis rationem, vt studium Theologie amplietur, inferretur inde, teneri hos huius studio vacare, quod nemo admittet. Secundo, quia textus illud desiderium ampliacionis studij Theologie explicuit, tanquam eius prohibitionis rationem. Tercio, quia pariter prohibetur ibi eisdem studium legum: & tamen no interdicitur exercitium ei, qui illas didicit, consulendo, siue verbo, siue scripto, vt dixi cap. precedentium. num. 29. & 32. dummodo non sit aduocatus, quia hoc officium est specialiter interdictum cap. 1. & 2. de postulando. Quarto, quia si in eo textu censetur interdictum hoc exercitium, dicendum quoque esset hos excommunicationem in eo contentam aduersus studentes medicine incurrere, quod nullus dicit. Quare legitima ratio est, quam tradit Nauarrus proxime allegatus, quia licet nullo iure interdictum eis sit exercitium harum artium, nisi quando chirurgia cum incisione, vel aduisione exercetur, censetur tamen predicta interdicta, eo quod sint secularia negotia, & eorum statutum de decencia, per generalem prohibitionem contentam toto titulo, ne clerici, vel monachi secularibus negotiis se immisceant. Quare non obstant rationes contrarie adducte num. precedenti. Nam ad 1. constat ex ratione proxime adducta. Ad 2. dic, non semper dantem operam rei prohibita, ex qua sequitur mors, esse irregularem, sed quando specialiter prohibita est ob mortis periculum inde imminens. Et ideo, quia chirurgia cum incisione, aut aduisione ob hoc periculum interdicitur clericis, iure optimo, tanquam dantes operam rei sibi ob id interdicta, incident in irregularem, sequuta inde morte, quantumque diligentiam in ea vitanda appouerint. Quia tamen chirurgia citra incisionem, & aduisionem, & ars medica non interdicitur clericis propter mortis periculum, sed quod statutum eorum dedecant, non sunt irregulares, si inde absque eorum culpa mors subsequatur. Et hoc est, quod in eius textus expositione voluerunt dicere Cardinalis, & Couarr. num. precedenti allegati, dum dicunt, hunc clericum medicine vacantem excusari ab irregulartate, quod operam rei non interdicitur sibi dederit, volunt enim dicere rei sibi non interdicitur ob periculum mortis, quale interdictum exigebatur, vt mors subsequuta ei imputaretur ad irregulartatem.

Hoc tamen temperandum est, nisi causa pietatis id minus exerceret erga miserabiles, & cognatas personas, dummodo nullum mortis subsecutur periculum immineret. Sic Rosella, Angel. Nauar. Tabiena, Armilla num. preced. allegati. Quare gratis dicitur esse, vt bene Rosella, Angel. Sylu. Tabiena, & Armilla ibidem. Quia quando pretio accepto id munus obitur, non dicitur causa pietatis obiri.

Id demum obseruandum est, Societatem Iesv eo 20 priuilegio frui, vt omnes eius religiosi medicine periti possint mederi quibuscumque infirmis, siue domesticis, siue externis, quando medici seculares commodè haberi nequeunt, dummodo id fiat ex superioris licentia, & citra aduisionem, & combustionem per seipios faciendam. Id enim ei concessit Gregor. XIII. in quadam Bulla, & refertur in compendio priuilegiorum eius, verbo medici. num. unico, vbi Pater noster Generalis concessit omnibus Societatis Iesv superioribus facultatem huius licentia concedendam.

S Y M M A R I V M.

Quoniam sit tutela. n. 21. Religiosi nequeunt esse tutores datini, vel testamentarij. numero 22. Si eam tutelam suscipiant, totum est irritum. n. 23. Quid de tutela legitima referatur quadam sententia. n. 24. Explicatur sententia auctoris. n. 25. Quid si tutela sit miserabilium personarum? n. 26.

Secundò interdicitur religiosis tutelam alicuius personae suscipere. Præmittendum est, triplicem esse tutelam: quædam est testamentaria, id est, data in testamento a patre suis filiis, alia est legitima, id est, quæ lege deferretur consanguineis successuris ab intestato, quando pater nullum in testamento designauit tutorem: alia est datua, quæ scilicet, quando non est tutor legitimus, aut testamentarius, aut si sunt, nolunt, aut nequeunt suscipere tutelam, designatur a Iudice, vt docent omnes, & habetur l. regia 2. tit. 16. p. 6.

Certum ergo est, religiosis non posse esse tutores 22 testamentarios, aut datinos; id enim interdicitur cap. finali. quod est ex Agatenis Concilio. d. 86. & auct. de sanctissimis Episcopis. §. Deo autem amabilis. collat. 9. & l. regia 14. tit. 16. p. 6. & docent omnes auctores allegandi. Neque id possunt ex licentia suorum superiorum, vt bene docent Angel. Syluest. Tabiena num. sequenti allegandi, quia in prohibitione iuris nequeunt hi dispensare.

Quod si illam suscipiant, totum est irritum quod gerunt, vt bene docet Azor tomo 1. instit. moralium. lib. 12. cap. 1. quest. 3. Et probatur, quia l. regia 14. vtitur verbo (non potest) & §. Deo autem amabilis. auct. de sanctissimis Episcopis, cui dicitur; monachos ex nulla lege tutores, aut curatores cuiuscumque persona fieri permittimus: quæ verba denotant monachos nullo modo esse legitimas personas.

De tutela autè legitima difficultas est: quidam enim asserunt, monachos nullo modo posse cogi ad eam suscipiendam, at si velint eam suscipere, id eis intergrum esse: sicut de clericis secularibus fatentur auctores, & habetur eo. §. Deo autem amabilis. vbi etiam hoc religiosis interdicitur, corrigitur per cap. finali. d. 86. vbi ea tutela permittitur religiosis. Atque ita docent Glossa eo. cap. finali. verbo tutela. in 2. solutione. & ibi Turrecem. sine. Angel. verbo tutela. num. 1. & ibi Syluest. quest. 3. Tabiena quest. 1. nu. 2. Asserunt tamen Angelus, Syluester, & Tabiena exigi ad hoc licentiam superioris. Idem tenet Azor tomo 1. instit. moral. lib. 12. cap. 11. quest. 3. vbi quantum non distinguat, sed absolute dicat, posse religioforum suscipere tutelam ex superioris licentia; at refert pro se Syluestrum verbo tutela. q. 3. qui id de sola legitima asserit, negans de testamentaria, vel datua. Ceterum

25 Ceterum verius est, nec legitimam tutelam integram esse monachis suscipere, vt expresse habetur eo. §. Deo autem amabilis, & ca. l. regia 14. neque apparet vbi id corrigatur dicto c. finali. Et ita docent Glossa ibi. in 1. solutione. Præpositus, & Archidiaconus, vt eos refert, & sequitur Gregor. Lopez. ca. l. regia 14. verbo non puet. Rosella verbo tutela. n. 2. Molina tomo 1. de iustitia. disp. 221. col. 3. vers. religiosus tutor. Costa de remedijs subsidiarijs. remed. 72. numero 7.

26 Hinc excipiunt Doctores tutelam miserabilium personarum, quam dicunt monachos non tantum posse, sed etiam teneri suscipere, per c. finali. d. 86. & c. 1. d. 88. & cap. Episcopus gubernationem eandem. d. 88. Atque ita docet Glossa eo. c. finali. verbo tutela. sine. & ibi Turrecem sine. Rosella verbo tutela. n. 2. & ibi Angelus num. 1. Syluester q. 3. Armilla num. 2. Tabiena quest. 1. num. 2. Sed in eo c. finali. nullum verum imponens hanc obligationem inuenio, & c. 1. d. 88. de Clericis loquitur, & d. c. Episcopus gubernationem, de Episcopis agit, nec cogit, vt per se suscipiant eam tutelam, sed per alium. Nec video quomodo possint ad hoc religio obligari, cum nec bona possideant, quæ pro administranda tutela vlli obligationi subiciant, & tutela munus valde a religioso statu alienum sit. Et ideo existimo, nec harum personarum posse religiosis esse tutores, nedum teneri; quod optime docuit Gregor. Lopez. ea lege regia 14. verbo non puet, dicens Episcopum nullam tutelam suscipere posse præterquam miserabilium personarum, quando nullus alius esset aptus ad id munus obendum; at religioforum indistinctè non posse esse tutorem.

S Y M M A R I V M.

An religiosus possit esse depositarius. n. 27. Quid in Societate Iesv? n. 28. An monasterium teneatur de deposito religioso commendato, si culpa religiosi perierit, vel ipse religiosus teneatur? numero 29. An monachus possit dari pro noxa? n. 30. An competat actio Abbati contra illud depositum commendatum monacho, vel cui competat? n. 31. An si Abbas videat, res depositas apud monachum surripiri, vel perire, neque obisset, cum possit, teneatur restituere? referatur quædam sententia. n. 32. Sententia auctoris. n. 33. An monasterium, vel Ecclesia teneatur de deposito ipsi commendato, quando eius culpa perierit, instar aliorum depositariorum? referatur quædam sententia. n. 34. Explicatur sententia auctoris. n. 35. An monasterium, vel Ecclesia possint restituere contra eam culpam? n. 36. Quando res deposita Ecclesie, vel monasterio censetur. n. 37.

27 Tertio agendum est de officio depositarij, quod quidem religiosus potest suscipere, vt expresse habetur l. regia 3. tit. 3. p. 5. Sed, vt bene ait Molina tomo 2. de iustitia. disp. 25. col. anepenult. vers. non solum, malè facit religiosus, si sine consensu tacito, vel expresse, aut indubitante præsumpto sui superioris id munus acceptet.

28 Atque in Societate Iesv est specialis prohibitio, vt constat ex regula 64. Recltoris, & regula 69. Præpositi domus professe, vbi sic dicitur; Depositum pecunie nullum profus admittatur: aliarum vero rerum non nisi cautissime, dummodo sint eorum, quibus malum debeamus, aut alioqui id officij sine magna offensione denegari non possit.

29 Non tamen tenentur monasterium de deposito illo, quod culpa religiosi est deperditum, aut deterius effectum, etiam si Prælati ille alicui religioso concedat licentiam, vt depositarius fit, nisi quatenus res deposita in monasterij vtilitatem conuerfa est, quod scilicet ex illa factum est locupletius; quia delicti monachi non obligat monasterium ad illud refaciendum, nisi quatenus Summa Tho. Sanchez. pars 1. l. 1.

ex eo monasterium factum est ditius. c. delictum, de regul. iuris. in 6. Atque ita tradunt Molina tomo 2. de iustitia. disp. 25. col. anepenult. vers. non solum. Leonardus lib. 2. de iust. a. 27. dub. 3. num. 12. qui bene addit, idem dicendum esse si depositum sit apud Abbatem. Quia neque ex delicto pecuniarum Abbatis tenetur monasterium, liquidum monasterium rem illam non in depositum. Atque id constat ex eo c. de deposito, vbi dicitur, Ecclesiam non teneri depositi non sibi, sed personæ commendati. Qualiter autem teneatur ipse monachus restituere, idem dicendum est, ac de aliis damnis per iniustitiam illatis à se: de qua re in tractatu de voto paupertatis.

Nec potest monachus ille dari pro noxa: quamuis 30 enim seruum damnus inferentem teneatur dominus dare pro noxa, aut damnus refarcire. l. 2. ff. de noxalibus actionibus. At monasterium nec tenetur de damno pro monachum dato, nec ipsum monachum pro noxa tradere, vt bene docet Nauarrus comment. 2. num. 62. de regulari, quod religiosus sit liber homo, & res inestimabilis, & ideo commutari nequeat pro noxa æstimabili. Quare minus bene Flotianus l. si seruus communis. §. serui autem. n. 2. ff. ad legem Aquilianam, ait teneri Abbatem de damno dato per seruum fugitiuum.

Nec quando res ita deposita erant apud monachum, 31 vt nullo modo teneatur monasterium de illis, competit actio aliqua Abbati circa illas, sed solum domino, quia nullum ius habet in illas monasterium. Sic Innoc. c. cum olim. el. 2. etiam. 4. de priuilegijs, & ibi Hostiensis num. 14. D. Anton. 3. p. tit. 16. c. 6. §. 7. Rosella verbo monachus. n. 9. & ibi Tabiena q. 12. n. 13. Syluester verbo religio. 6. n. 8. quod tamen ad hunc sensum intelligo, vt non possit Abbas res illas petere actione rei vindicacionis. Ceterum si in eo conferuando delinquat monachus, poterit puniri ab Abbate, tanquam a suo legitimo superiori, vt bene docet Molina tomo 2. de iust. disp. 52. col. anepenult. vers. non solum. Item poterit Abbas præcipere monacho, ne amplius depositum retineat, vel illi rem depositam auferat, vt securius in monasterio custodiatur.

Tandem superest duplex difficultas. Prior est, an si 32 Abbas videat res apud monachum depositas surripiri a monacho, vel aliis culpa illius perire, nec obstat, potens eas esse obstat, teneatur depositi? Aliqui dicunt peccare quidem; sed non teneri monasterium, aut ipsum Abbatem restituere monacho non restituente: quod res illæ soli personæ monachi commendatæ fuerint. Sed potest amplius probari, quod superior religionis in solum religiosorum bonum, & vtilitatem creatus fit, non autem vt indemnitas aliorum prospiciat: sicut probabilissima sententia sustinet, confessarium omitrendo, obligare penitentem ad restitutionem, non esse restitutioni obnoxium; eo quod eius officium in solum penitentis vtilitatem institutum sit. Atque ita docet Hostiensis c. 1. num. 14. de deposito. Tabiena verbo monachus. num. 13. quest. 12. & ibi Armilla n. 13. limitans, nisi Abbas esset talis persona, quæ prohibere debeat.

Sed verius est teneri restituere, & quia latum est discrimen inter religionis Prælatum, & confessarium: hic enim in solum penitentis vtilitatem institutus est; ille autem, etsi per se primò in religiosorum bonum, est tamen institutus etiam vt Iudex religiosorum, & vt illos tanquam Iudex cohercet, & puniat. Quare sicut lege iustitia tenetur religiosum cogere, vt depositum illud domino poscenti restituat: ita eadem lege tenetur impedire damnum, quod inferri ab ipso videt, & potest impedire. Et confirmatur, quia etsi confessarius à creditore requisitus, vt compellat penitentem ad restitutionem, omittat compellere, non tenetur restituere, quia non est Iudex inter partes. At Prælati religiosorum non compellens religiosum restituere pati petenti, tenetur vtiq; Et ideo hanc partem sustinet D. Anton. 3. p. tit. 16. cap. 6. §. 7. Rosella verbo monachus. n. 9. Syluester verbo religio. 6. quest. 8. Gregor. Lopez l. 13. verbo de religio. in 1. part. §. Tapia R 3 auct

aut h. ingressi. verbo s. a. cap. 18. num. 17. C. de sacrosanct. Eccl. s. s.

34 Posterior difficultas est, an monasterium, vel Ecclesia teneantur depositum apud ipsa relecta, quando culpa eorum perierit, eo modo, quo alij depositarii, quorum culpa perierit, teneantur? Quidam dicunt non teneantur: & hoc est privilegium Ecclesie, nisi quia pretio accepto depositum utiturque in usus est; ut quia pretio accepto depositum accepit, vel aliud lucrum inde reportavit. Ita docent Innoc. c. 1. n. 1. de depositis. & ibi Hostiensis. n. 3. Ioan. And. n. 9. Abbas n. 10. Henric. n. 1. additque Abbas, saltem hoc esse verum, cum gratia restitutionis faciende esset opus res immobiles, aut pretiosas mobiles Ecclesie distrahere, ex contractu hoc non inuito in Ecclesie utilitatem adversus textum c. sine exceptione. 12. q. 2.

35 Ceterum dicendum est teneantur non secus atque alios depositarios: tum quia nullibi id Ecclesie privilegium reperitur, tum etiam, quia hoc aperte colligitur a contrario sensu, ex c. de deposito, quatenus textus ille ponderat ne Ecclesia depositum teneatur, non ipsi, sed singulas personas id commendandum esse. Atque ita docent Glossa eo. cap. 1. verbo persona, & ibi Anton. n. 5. & 13. Imola num. 5. & 16. Card. n. 2. num. 3, & num. 7. q. 7. lex regia 7. tit. 3. p. 5. & ibi Gregor. Lopez verbo bien assi. Qui rationi Abbatis respondet, eo ipso quod per Ecclesiam recipi permittit, censetur quoque permittere distrahi bonavillius ad depositum restituendum.

36 Nec possunt Ecclesia, vel monasterium iuari beneficio restitutionis in integrum, quando dolo in re deposita deliquerint: quia Ecclesia equiparatur minori. c. 1. de restit. in integrum. At minor non restituitur quando praecessit dolo, ut late probat multis allegatis Sfortias Oddo de restitutione in integrum. p. 2. q. 8. tit. 1. o. art. 2. Atque ita docet Ioan. And. c. 1. n. 1. de deposito, & ibi Imol. n. 6. & ibi Card. n. 2. num. 1. Gregor. Lopez n. praecedenti allegatus. Quod si solum esset in lata culpa, dicant Ioan. Andre. & Card. ibi adhuc non competere sibi restitutionis beneficium: quod lata culpa equiparetur dolo. l. quod Nerva. ff. de positi. At contrarium tenet Imola utroque loco citato, quia minor, cui Ecclesia equiparatur, restitutionis beneficium gaudeat adversus latam culpam, quae dolum praesumptum tantum inducit, ut late probat Sfortias Oddo d. q. 8. ar. 4. de qua re vide Caldas l. si curatorum, verbo vel adversarii dolo. n. 62. & 63. c. de in integrum restit.

37 Quod si queratur, quando censetur depositum factum Ecclesie, vel monasterio, & Capituli, aut ipsi presentibus, nec consentientibus, cum possint contradicere; quia hi representant Ecclesiam. Sic colligitur ex textu c. 1. de deposito, & tenent ibi Glossa verbo persona, & ibi Card. num. 7. q. 9. Anchar. sine. Abbas n. 1. o. lex regia 7. & ibi Gregor. Lopez verbo per lato. tit. 3. p. 5. Atque idem est dicendum, si Abbas, & Capitulum aliquem deputatum ad recipienda deposita, & apud illum depositum esset: secus si ad specialia deposita, & ille limites suae potestatis transgrediens, alia recepisset. Et ita docent Cardinalis, Ancharnus, Abbas, Gregorius Lopez ibidem.

S Y M M A R I V M.

An religiosus possit esse fideiussor? num. 38. Quid de Praelato regulari? num. 39. An valeat fideiussor? referunt quaedam sententia. num. 40. Sententia auctoribus. num. 41. An religiosus cum licentia existens in studio, possit fideiubere, vel peculium causa studij sibi concessum fideiussione illa obligare? num. 42.

38 Quartum interdicitur religiosis fideiubere, nisi de licentia Praelati, & maioris partis Capituli, ut expresse habetur c. penultimus de fideiussor. & l. regia 2. tit. 12. p. 5. exigitur quoque utilitas monasterij, iuxta c. 2. de postulatu. ut bene

docet Host. eo. c. penult. n. 2. At in religione, in qua Capitulum non congregatur, ut in Societate Iesv, satis est facultas eius superioris, qui iuxta statuta, & eius privilegia potest eam concedere, ut bene docet Molina tomo 2. de iust. disp. 540. col. 1. q. 4. vers. religiosus vero.

Quare nec Praelatus monasterij id poterit abique consensu maioris partis Capituli, cum nec ipse abique eo consensu facultatem fideiubendi concedere possit. Et ita docent Syluest. verbo fideiussor. q. 4. & ibi Angel. n. 7. Armil. n. 4. Tabiena q. 3. n. 4. Leonard. lib. 2. de iustitia. c. 28. dubio 2. n. 20. Quod bene ait Syluest. intelligendum de assensu explicito, vel implicito, ut in re modica, de qua potest Abbas disponere ex tacito Capituli consensu. Atque idem est dicendum, ubi superior non indiget consensu Capituli ad eam licentiam dandam, iuxta dicta n. praeced. Sicut enim superior ille potest eam licentiam concedere abique consensu Capituli; ita potest quoque ipse fideiubere, id utilitatem monasterij poscente, iuxta dicta n. praecedenti.

Sed controversia est, an si de facto fideiubeat religio- sus abique praedicta licentia, sit irrita fideiussio: Quidam censent eam validam fore, & faciendam executionem in peculio talis monachi; quia clericis similiter interdicitur fideiussio, si tamen fideiubeant, tenentur, ut constat ex c. 1. & 2. de fideiussor. & ita docent Faber in iust. quod cum eo. §. qua diximus. n. 2. & ibi Angel. §. ceterum. n. 1. Aucterius in decisione capelle Tholoniae. 34. n. 3.

Sed dicendum est, fideiussionem esse irritam, quia diversum est in clericis, quibus solum prohibetur pro laicis fideiubere, quod id statum eorum de decet. At religiosus interdicitur quaecumque fideiussio abique praedicta licentia, eo quod proprium non habeant, quod alteri obligent. Atque ita, cum obligent abique legitima licentia, irritum quod faciunt: hinc si abique legitima licentia aliquid donarent, vel alio modo disponerent. Et ita docere videtur Hostiensis c. penult. num. 2. de fideiussor. dum ait religiosum abique licentia fideiubentem non obligari: & tenent Ioan. And. c. 2. n. 6. ne clericis, vel monachi, in 6. & ibi Archid. n. 6. Dominicus ibi. in principio. num. 10. Francus in principio. n. 6. Idem Art. hid. c. cum pastoris. 2. q. 7. m. 4. & ibi Bellemea n. 2. Faber §. ac. nec sine iust. de fideiussor. D. Anton. s. p. 1. 24. c. 5. §. sine. Rosella verbo excommunicatio. 1. casu 10. sine. Syluest. verbo excommunicatio. 9. casu 2. §. sine. Gregor. Lopez l. 2. verbo delos obis. tit. 12. p. 5. Molina tomo 2. de iust. disp. 540. col. 1. q. 4. vers. religiosus vero. Azor tomo 1. iustit. mer. lib. 12. c. 11. q. 2.

Immo quamvis religiosus de superioris licentia existens in studio, possit contractus inire, nequit tamen valide fideiubere, ut docent Glossa c. ex parte. verbo licet, de accusat. Felin. n. 1. c. ex parte. n. 2. de accusat. Ioan. Andre. Archid. eo. c. 2. n. 6. Dominicus, Francus, D. Anton. Rosellanus. praeced. allegati, Surdus de alimentis. tit. 8. privileg. 97. n. 1. Quia solum potest contrahere, & obligare monasterium in iis, quibus ad necessarias studij expensas indiget, ut suo loco dicemus, inter quae fideiussio non computatur. Quare bene ait Abbas c. penult. n. 3. de fideiussor. nec tunc obligare fideiussione illa peculium causa studij sibi concessum. Quippe ea fideiussio est extra studij causam; & addo, quia etiam fideiussio non valet.

S Y M M A R I V M.

An religiosus possit ad gradum doctoratus promoveri? Referunt quaedam sententia. num. 43. Potest promoveri in Theologia, vel iure canonico. numero 44. Quid in iure civili, & medicina? num. 45. An existens de licentia superioris in studio, possit abique alia licentia ad doctoratum promoveri, & teneatur monasterium ad expensas? num. 46. Quid de Franciscanis? num. 47. Quid de religiosis Societatis Iesv? num. 48.

An

An valeat gradus a religio susceptus absque superioris licentia? num. 49.

43 Tandem agendum est de gradu doctoratus, an interdicitur sit religio ad eum promoveri. Rebuffus practi beneficiorum, titulo de dispensatione cum regularibus. numero 27. ait, nullum doctoratum gradum in Theologia, vel iure canonico tribui debere religiosis: atque in iure civili, vel medicina eorum esse nequaquam posse religio ad gradum doctoratus promoveri, quia ipsis interdicitur iuri civili, aut medicinae studere c. non magnopere. & c. super specula, ne clericis, vel monachi. Ergo & doctoratus gradum in illis accipere. Immo Ioan. Andr. regula cum quid prohibetur. 39. de regulis iuris, in 6. numero 14. vers. circa solutionem quaestiones, dubitat an concessio privilegio a Papa religiosis, ut audiant ius civile, possint ad doctoratus gradum in eo promoveri; & ante factum dicit ab ea promotione abstinendum.

44 Prima conclusio sit. Absque dubio dicendum est, posse religiosus ex superioris licentia ad doctoratus gradum promoveri in Theologia, & iure canonico. Ratio est, quia nullibi interdicitur eius gradus assumptio, neque harum facultatum studium. Atque ita docent Calder. consil. 2. de magistr. Felinus cap. cum dilecta. numero 19. de responsis. Caietanus 2. 2. quaestione 186. art. 7. ad 4. sine. Archidia. c. monachus el. 1. part. 16. quaestione 1. num. 1. Guillelmus Benedictus cap. Raynurus. verbo de vocare nomis Adelsia in princip. num. 213. Syluester verbo Doctor. quaestione 6. numero 7. Tabiena verbo magistr. quaestione 2. numero 3. & ibi Armilla numero 4. Nauarrus comment. 2. de regul. n. 2. vers. dico. Salzedo in practi. can. Bernard. Diaz. c. 59. §. penult. Manuel qq. reg. tom. 2. q. 74. art. 1. Secunda conclusio. Religiosis, qui iuri civili operam dederat, potest ex sui superioris licentia promoveri ad doctoratum in iure civili. Ratio est, quia c. non magnopere. & c. super specula ne clericis, vel monachi, sola auditio iuris civili, aut medicinae exouendo claustrum interdicitur. At longè diuersum est promoveri ad gradum in his facultatibus, quas religiosi in saeculo didicerant. Atque ita docent Calder. Felin. Nauarrus, Salzedo, Manuel n. praecedenti allegati. Immo si in religione ipsa huic facultati operam dedit, etiam de claustris exiens, quamvis peccarit, poterit tamen ex superioris licentia ad gradum doctoratus in illa promoveri: quia hoc posterius nullibi prohibitum est, nec peccatum praecedens studij huic facultatis reddit religio inceptum doctoratum. Atque idem censet de promotione ad doctoratum in medicina, quia nullibi est prohibitum, sed sola auditio.

45 Tertia conclusio. Religiosus missus a superiori ad literas addiscendas, censetur quoque licentiam habere, ut ad doctoratus gradum promoveatur, ac proinde expensas in eius gradu consumptas tenetur monasterium solvere. Atque ita docent Felinus latus probans c. cum dilecta. n. 18. & 19. de responsis, & c. ex parte. n. 3. de accusat. Nauarrus comment. 2. de regul. n. 2. vers. 3. dico. Surdus de alimentis. tit. 8. privileg. 97. m. 4. & 5. quod benelimit Felin. eo. c. ex parte. n. 3. de expensis necessariis non sumptuosis.

46 Quarta conclusio. Fratres Franciscani possunt etiam ad gradum doctoratus promoveri, dummodo cursus per constitutiones Apostolicas, & sui ordinis instituta decretos perfererint, & idonei existant, & in vniuersitatibus ab ipso ordinis per generalia Capitula specialiter electis. Sic enim statuit Martinus V. ut refert Manuel qq. regular. tomo 2. q. 84. art. 2.

47 Religiosi Societatis Iesv non possunt ad gradum Philosophiae, vel Theologiae promoveri sine Praepositi Generalis facultate: habetur in constit. p. 4. c. 6. §. 10. & 17. & c. 5. §. 3. & regul. 62. officij Provincialis.

48 Tandem difficultas est, an valeat gradus doctoratus, vel alius receptus a religio abique superioris licentia? Breuiter responderi, & bene Manuel qq. regular. tomo 2. q. 74. art. 3. si religiosi sint ordinis Praedicatorum

reformatorum, seu de obseruantia prouincia, aut congregationis Hispaniae, & praesumant assumere quemcumque gradum in sacra Theologia, nisi ad illum per Capitulum dicte congregationis expositi fuerint, erit irritum quod faciunt: sic enim statuit Innoc. VIII. cuius decretum ibi refert. Vnde bene inserti ibi Manuel, hanc poenam non extendi ad reliquos fratres non reformatos, neque ad reliquos religiosos, immo neque ad reformatos, qui non ex praesumptione, sed ex ignorantia, vel obliuione ad eos gradus promoti sunt; quia decretum illud praesumptionem requirit. Immo addo non incurtere, quamuis ignorantia esset mortaliter culpabilis, & quarcumque crassa, dummodo non esse ingens temeritas: quia huiusmodi ignorantia, quae non ingentem temeritatem claudit, excusat a poena praesumentibus imposta, ut late probauit lib. 9. de matrimonio. disp. 32. n. 38. & 39.

C A P V T X V.

De clausura monialibus indicta quoad egressum de monasterijs.

S Y M M A R I V M.

Quot quaestiones disputanda sint? num. 1. Proponuntur textus, & motus proprii clausuram monialibus indidentes. num. 2. An sit solo iure humano indicta? num. 3. An contraria consuetudine possit huic clausurae praecipio derogari? num. 4. Qualiter monialibus strictior clausura indici potuit. num. 5. Qui sint limites, intra quos clausura monialium continetur, & an illis integrum sit Ecclesiam, & usque ad portam exterioriorem, dum clausa sunt, egredi? num. 6. An clausuram violenti supra teius regulas ascendunt? n. 7. Quid intelligat Pius V. in motu proprio pro monasterijs, sine domo: & que sit natura dictianis, seu, & sine. num. 8. An clausuram violenti monialibus egrediens domo priuata, intra quam est inclusa, vel transiens ad domum monasterio contiguam? n. 9.

D V P L E X iure indicitur regularibus clausura: prior quoad egressum de suis monasterijs: posterior quoad ingressum extraneorum intra illa. Diuersa autem quoad utrumque indicitur monialibus, & viris religiosus, de quibus seorsum agendum est. In praesenti ergo cap. tractandum est de clausura monialibus iure indicta quoad egressum de suis monasterijs: estque quintuplex disputanda quaestio. Prima est. Qualis clausura, & quo iure monialibus indicta sit: & qualiter strictiori indici poterit. Secunda. Quae moniales illa ligentur. Tertia. Cuius sit eas ad hanc clausuram cogere, & licentiam egressus legitima causa. Vltima. Quo censuratae sint contra moniales clausuram hanc non seruantes, vel eis fauentes.

Prima est. Qualis clausura eo iure monialibus indicta sit, & qualiter strictiori ea ad quam ex vi suae regulae, aut voti tenebantur, indici poterit. Praemitendum est, clausuram monialibus, eo quod collapsa erat, non abique graui carum honestatis dispendio, indictam strictissimo praecipio esse a Bonifacio VIII. c. periculo. in princip. de statu regularium, in 6. his verbis: Praesenti consuetudine perpetuo irregulariter vultur a sanctissimis, vniuersis, & singulis moniales praesentes, atque futuras, cuiuscumque religionis sint, vel ordinis, in quibuslibet mundi partibus existentes, sub perpetua in sui monasterijs debere de cetero permanere clausura: ita quod nulli earum tacite, vel expresse praesente sint, vel esse valeant, quascumque ratione, vel causa, nisi forte tanto, & tali modo euidenter ea laborare constiterit, quod non possit cum aliis absque graui periculo seu scandalo commorari: monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas concedatur. Sed quia constitutio haec in aliquibus locis recepta non erat, in aliis vero in desuetudinem abiit, Tridentinum